

62

roll. Theol. in p̄dicamento ubiq. 2. neque enim creatum quid est, cum tale saltim intra mundi sph̄eram detur, neque increatum, etenim solus DEUS est increatum aliquid reale & positivum, sed est tale, quod mens nostra, cum aliter DEI immensitatem concipere nequeat, sibi imaginatur. Unde & Henrico Nicolai l. c. describitur cogitatum aliquod inter nullum extra mundum & mundana corpora aut in vacuo creati alicuius experie concepturn. Unde sensus Phraseo est iste: nullum omnino spatiū concipi animo potest, in quo DEUS in se & suā immensitate non existat. Non male hanc in rem Arriaga inquit: *Quando DEUM in his spaciis constituo, solum dico, illum ex essentiā suā habere talem immensitatem, ratione cuius ita existit, ut nequeat produci aut concipi producta aliqua res, cui DEUS eō ipso non sit intimè præsens, sine ulla prorsus in ipso mutatione, etiam si neque DEUS eam creeturam produceret.*

§. 3. Sed Affirmativa negativæ præferenda esse videtur: Cum enim DEI magnitudinis non sit finis, facile patet, quod terminis hujus Universi includi nequeat, unde i. Reg. 8. dicitur: Cœli cœlorum te non capiunt. Et Joh. ii. dicitur: Excelsior est cœlō & profundior inferno. Idem quoque ex lumine naturæ ostenditur: Quia si ubiquitas DEI constringeretur cœli & terræ spatiis, non esset absolute infinita & immensa, quod consequens est absurdum. E. & antecedens. Deinceps DEUS est is, quod magis nihil cogitari potest. Sed si non esset extra cœlum, majus quid DEO cogitari posset.

§. 4. Huic tamen sententiaz obstat evidetur (i.) quod res spirituales in spatiis sint per operationem, DEUS autem extra cœlum nihil operatur. E. ibi non est præsens. Resp. negatur, quod res spirituales in spatiis sint per operatio-

C 2

nem;